

peculiari et distincta, quæ sigillatim representet omnes creaturarum perfectiones, quas in infinitum omnipotentia connotat. *N. Quoad 2<sup>m</sup>. p. D.* similiter; quia vident quidem substantiam ipsam actus, quæ est ipse Deus, non tamen omnem illius terminum.

*Inst. 1.* Saltem Deus comprehenditur ab humanitate Christi; nam: 1<sup>o</sup>. ut ait Paulus ad Coloss. 2. *In Christo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ Dei*, et Joan. 3. *Non est Christo datus spiritus ad mensuram.* 2<sup>o</sup>. Juxta Isidor. in Exod. c. 42. n. 3. *Sola sibi integre nota est Trinitas et humanitati assumptæ.* 3<sup>o</sup>. D. Thomas p. 3. q. 10. a. 2. asserit, hominem assumptum cuncta cognoscere, quæ sunt in Deo; ergo.

*R. N. A. Ad prob. 1<sup>m</sup>. D.* Hæc Christo insunt et sunt data, quatenus humanitati conjuncta est divinitas, quæ habet thesauros sapientiæ increatæ ac spiritum non ad mensuram *C.* quatenus ejus humanitas in se spectatur, aut hæc habeat sapientiam creatam infinitam et spiritum non ad mensuram in se ipsa *N.* Verba ab Apostolo immediate subjecta: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, ejus mentem et nostram responsionem explicant.

*Ad prob. 2<sup>m</sup>. D.* Trinitas integre nota est humanitati assumptæ ratione personæ, in qua subsistit, unde et addit: *Quæ est secunda in Trinitate persona C.* ratione sui *N.* Sensus itaque illius est: Christus ut Deus divinam comprehendit essentiam, non autem ut homo.

*Ad prob. 3<sup>m</sup>. D.* Asserit humanitatem cognoscere omnia, quæ sunt formaliter in Deo *T.* quæ sunt eminenter *subd.* quantum ad possibilia, et præsentium etiam ac futurorum omnem virtutem vel modum *N.* quantum præcise ad præsentium ac futurorum substantiam et numerum, quandoquidem Christus omnium, quæ Deus decrevit, caput est *C.*

*Inst. 2.* Deus secundum totam suam visibilitatem continetur intra objectum intellectus creati; ergo per absolutam potentiam Dei potest intellectus creatus elevari ad Deum comprehendendum; præsertim cum lumen gloriæ aut concursus Dei infinitus non implicet.

*R. D. A.* Deus secundum totam suam visibilitatem continetur intra objectum intellectus creati, quatenus habet rationem veri, et ita, ut attingatur modo finito *C.* quatenus habet rationem infiniti, et ita ut attingatur modo infinito *N.* Tota infinitas Dei manet visibilis et comprehensibilis respectu Dei, qui se ipsum solus comprehendit: non autem visibilis et comprehensibilis est respectu intellectus creati, a quo tantum *finito modo* et cognitione communi ac generali, aut distributive, et divisive, non autem modo infinito et cognitione singulari ac distincta, aut collective et simul attingi potest. *Ad prob.* subjunctam *N.* quia repugnantia luminis gloriæ aut concursus simultanei in actu secundo et terminative infiniti patet præter alia ex eo, quod omnis creatura et actio creata essentialiter debeat esse limitata ac finita.

*Inst. 3.* Tota divinitas uniri potuit cum natura humana in Christo unione substantiali et physica; ergo et uniri poterit cum intellectu creato unione accidentali et intentionali; maxime cum illud plus sit quam hoc. *Conf.* Cognitio divina, qua Deus seipsum comprehendit, potuit uniri cum intellectu creato, sicut dignitas naturæ divinæ unita est cum humanitate Christi et ejus operibus: sed hoc modo intellectus creatus comprehendet Deum; ergo.

*R. 1.* Vel ipsa personalis unio divinitatis cum Christo non facta est, nisi secundum modum et capacitatem finitam humanitatis; ergo et intentionalis fieri non potest, nisi modo finito et pro capacitate intellectus finiti.

*R. 2. T. A. N. Cons.* Disparitas est, quia unio hypostatica nullam supponit actionem in humanitate, ac proin minus repugnat eam esse perfectissimam, quamvis de facto, cum non sit infinita, non sit simpliciter sed secundum quid tantum perfectissima: sed visio Dei est vera actio creaturæ; maxima autem est proportio inter facultatem finitam et actionem infinitam, qualis deberet esse visio Dei comprehensiva. Ad *rationem* additam *R. τὸ plus* significare hic excellentius, non autem difficilius; imo cum illa unio intentionalis totalis seu visio Dei comprehensiva commensurari deberet Deo, vel per identitatem esset ipse Deus, vel illa nihil posset dari excellentius.

*Ad Conf. R. N. parit.* Unio enim illa cognitionis divinæ sic possibilis asseritur, ut per eam creatura Deum cognosceret et comprehenderet: sed nec *primum* evaderet, quia cognoscere dicit actionem vitalem, quæ necessario profluere debet a proprio et interno principio; nec *secundum* quia unio illa fieret pro exigentia aut capacitate intellectus creati et finito modo, ac consequenter non daretur comprehensio. Ex priori autem habetur etiam *disparitas*; quia illa unio moralis non est quid creatum, sed ipsa dignitas increata, secundum æstimationem prudentum, naturæ hypostaticæ unitæ ejusque operibus communicata; cum unio intentionalis seu visio Dei intuitiva ab intellectu creato elicita sit quid creatum, adeoque essentialiter limitatum ac finitum.

## CAPUT II.

## DE VISIBILITATE DEI.

## ARTICULUS I.

## AN DEUS VIDERI POSSIT AB INTELLECTU CREATO SUPERNATURALITER ADJUTO?

95. *Nota.* In alterum Anomæorum errori oppositum abierunt jam olim quidam anonymi, de quibus Greg. M. L. 18. Mor. c. 28 (al. 54. n. 90). scribit: *Sciendum vero est, quod fuere nonnulli, qui Deum dicerent etiam in illa regione beatitudinis in claritate quidem sua conspici, sed in natura minime videri.* Hos seculo vii. secuti sunt *Armeni* negantes intellectum creatum, lumine superno adjutum, posse clara Dei visione frui. Secuti sunt *Palamita* docentes: *Sancti omnes tam homines quam Angeli gloriam quidem Dei temporis expertem* (scilicet increatam illam lucem) *et sempiternam gratiam ac donum recipiunt: substantiam autem Dei nemo unquam vidit homo neque angelus videre potest.* Quin et in Academia Parisiensi an. 1240. fuerant, qui inter alios errores ab Episcopo et Universitate ibidem damnatos hanc quoque propositionem defenderant: *Quod divina essentia in se nec ab homine nec*



angelo videatur vel videbitur. Contra hos cum omnibus orthodoxe sentientibus

96. *Dico.* Deus ab intellectu creato supernaturaliter adjuto intuitive videri potest, et a Beatis videbitur.

*Prob. I. ex SCRIPTURA.* Matth. 18. 10. *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* Sed imprimis facies Dei, secundum Aug. L. 22. de Civ. c. 29. n. 1. *non est aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore, sed manifestatio ejus intelligenda est; et videre faciem Dei juxta eundem in ep. 112. (al. 147). c. 8. est videre eum sicuti est.* Deinde vero in altera vita homines erunt Angelis pares, dicente Christo Matth. 22. 30. *Erunt sicut Angeli Dei in caelo; ergo.* Præterea de hominibus legitur Matth. 5. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Joan. 14. 21. *Qui diligit me... manifestabo ei me ipsum.* 1. ad Cor. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum.* 1. Joan. 3. 2. *Cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Sed hæc omnia claram ipsius essentiæ divinæ intuitionem significant, ut ex Patrum interpretatione mox adjicienda patet; ergo.

*II. ex TRADITIONE, Præter PP. C. Francoford., qui in ep. ad Hispanos scripserant: Prædicamus Christum Deum verum et vivum, ut ad ejus beatissimam visionem pervenire mereamur, in qua est æterna beatitudo; Et præter Benedictum XII., qui in Extrav. Benedictus Deus, tribuit Beatis divinæ essentiæ visionem intuitivam et facialem, nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente; Eugenius IV. Sess. 25. C. Florentini in Decreto Unionis cum Græcis definit: Purgatas animas in cælum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum sicuti est.* His præluserunt Patres plerique omnes, IREN. L. 4. c. 37 (al. 20. n. 5). CLEM. ALEX. Strom. L. 5. p. 548. GREG. NAZ. Orat. 28. n. 17. AUG. ep. 112 (al. 147). c. 8. et de Civ. Dei. L. 22. c. 29. n. 1. PROSP. (seu potius JULIAN. POMERIUS). GREG. MOR. in Job. L. 18. c. 28 (al. 54. n. 90), etc. V. PETAVIUM, de Deo. L. 7. c. 7.

*Conf. 1.* Homo per gratiam potest consequi finem suum ultimum et beatitudinem; quia alias frustra hic illi finis præfixus et a Deo promissus foret: sed finis ultimus et beatitudo hominis consistit formaliter vel ex toto vel ex parte in clara et intuitiva visione Dei; ergo; 2. Si visio Dei intuitiva esset impossibilis, ergo vel quia est cognitio Dei supernaturalis, vel quia est cognitio Dei immediata, vel quia infinita: sed 1<sup>o</sup>. possibile est auxilium supernaturale, vi cuius potens fiat intellectus creatus ad eliciendam cognitionem Dei supernaturalem. 2<sup>o</sup>. Deus etiam ratione suæ substantiæ continetur intra verum seu objectum specificativum et essenziale intellectus; adeoque ratione hujus potest immediate terminare cognitionem. 3<sup>o</sup>. Quamvis Dei entitas sit infinita, tamen quia objectum non est principium sed terminus cognitionis, et præterea objecti infiniti cognitio potest esse finita; non requiritur, visionem Dei esse infinitam.

97. *Obj. I.* Deus est invisibilis, et inhabitat lucem inaccessibilem; ergo absolute videri nequit. *Conf. 1<sup>o</sup>.* Instar privilegii et prærogativæ asseritur soli Filio nosse Patrem et videre Deum, Matth. 11. 21. *Nemo novit Filium*

*nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Joan. 1. 18. *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ergo creaturæ visio Dei convenire nequit. 2<sup>o</sup>. Qui desiderant videre Deum, necdum vident: sed ipsi etiam Angeli sancti desiderant videre Deum, 1. Petr. 1. 16. *In quem Angeli desiderant prospicere; ergo nec illi vident Deum.*

*R. D. A.* Deus dicitur invisibilis et inhabitare lucem inaccessibilem, quatenus nec oculo corporeo cerni, nec solis naturæ viribus intuitive videri, nec penitus comprehendi potest *C.* quatenus nec ab intellectu superius adjuto vel in altera vita intuitive cognosci queat *N.* Etenim, ut *S. Aug.* ad hanc objectionem respondet ep. 111. (al. 148. c. 3. n. 11.) *Quia nec ista testimonia falsa esse possunt, Beati mundo corde etc., negare non possumus filios Dei visuros Deum.*

*Ad Conf. 1. R. D. A.* Soli Filio instar privilegii et prærogativæ cum aliis tamen per illum communicabilis tribuitur etc., *C.* non communicabilis *subd.* tribuitur nosse Patrem et videre Deum, per hæc intelligendo cognitionem Dei perfectissimam et plenissimam, seu comprehensionem *C.* intelligendo visionem intuitivam per vires auxilii superni, aut fidei mysteriorumque illustrationem *N.* Primo textui mox additur: *Neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare:* alter vero textus eo pertinebat, ut JOANNES ostenderet, a quo tam divina et stupenda arcana didicisset, quæ ante narraverat de Verbo Dei Filio, ejus æternitate, suscepta carne et illata hominibus per illum gratia; hæc enim se ait non ab aliquo homine, ut olim Judæi a Moyse Legem, sed a Filio Dei accepisse, qui illa Dei secreta perciperet aliisque nuntiaret, quemadmodum exponunt Aug. L. cont. Adimant. c. 9. L. 2. cont. Maximin. c. 9., et Cyr. Alex. L. 1. in Joan. c. 10. Cæterum ita visionem Dei ætonomastice talem, seu cognitionem comprehensivam tribui Filio, ut non conveniat quidem illa creaturis, non tamen visio propria negetur, declarat CHRYS. hom. 14. (al. 15. n. 2) in Joan. hæc notans: *In sinu Patris esse, majus quiddam est, quam videre: qui enim tantum videt, non habet exquisitam ejus, quod videt, cognitionem.*

*Ad 2. R. D. M.* Qui desiderant, desiderio puræ spei et excludente objecti possessionem, videre Deum, eum necdum vident *C.* desiderio amoris et complacentiæ in possessione objecti *N.* primo modo desiderant ægri sanitatem: secundo modo dives desiderat divitias, quas possidet, semper habere; et tale etiam est desiderium Angelorum Deum intuentium juxta *S. THOMAM.* Alio etiam modo exponit *S. GREG. L. 18. Mor. c. 28. (al. 54. n. 91.)* et *L. 1. in Ezech. hom. 8. n. 28.* ubi dicit per hoc desiderium anxietatem et fastidium, non vero præsentiam objecti et in ipsa satietate novitatem ardoris excludi. Præterea juxta text. græc. legitur, *in quæ,* non autem, *in quem* desiderant prospicere, et per hæc intelliguntur cum pluribus interpretibus Redemptio hominum, fidei incrementum et Evangelii gloria; unde de desiderio actu proprio verba intelligi possunt, sed quin huc pertineant.

*Inst.* Ex locis Scripturæ cit. non magis licet inferre visionem intuitivam, quam ex Genes. 32., Num. 12., ubi Jacob et Moyses Deum facie ad faciem vidisse leguntur. Sed ex postremis non deducitur concessa his Patriarchis visio substantiæ divinæ; ergo nec ex prioribus. *Conf.* Dicta Patrum minime conciliari possunt cum veritate nosræ thesco ac dogmatis. Nam 1<sup>o</sup>. Auctor homiliæ de SS. Deipara, quæ ATHANASII nomen præfert, dicit (n. 10.) sicut



nos animam nostram non cognoscimus, sed tantum *velut umbras et figuras ejus ex facultatibus et operationibus illius expressas*, sic et Deum duntaxat cognosci ab anima posse. Auctor vero QQ. ad Antiochum q. 2., qui etiam inter opera ATHAN. extat, ait, *essentiam Dei non videri nudam, sed tantummodo quemdam gloriæ gradum ad captum humanum accommodatum*. 2°. CLEMENS ALEX. apud OEcumenium et Theophylactum, in 1. ad Tim. c. 3. v. 16. CYRIL. HIEROS. Catech. 6. n. 6. CYR. ALEX. L. 1. in Joan. c. 10., AMBROS. in Comment. in Lucam. L. 1. n. 25. HIER. apud AUG. ep. 111. (al. 148. n. 7). docent, nec ab Angelis videri Deum *in se, sicut est, secundum naturam aut substantiam*, sed tantum Deum *incarnatum*, aut *quantum capere possunt, vel pro mensura quisque ordinis sui*. 3°. DIONYS. de divinis Nom. c. 1. §. 1. et 4. et de Coelest. Hier. c. 4. §. 3. GREG. NYSS. Or. 6. de Beatitud. opp. t. 1. p. 813. BASIL. L. 1. cont. Eunom. n. 14. AMBROS. L. de Incarn. c. 3. n. 21. 22. ISIDOR. HISP. in Exod. c. 42. statuunt naturæ divinæ cognitionem omni creatæ menti esse superiorem, et soli Filio ac Spiritui sancto convenire.

R. N. M. et par. Generatim enim dicitur, quod nemo in hac vita videat Deum; e contra expresse asseritur, quod Deus ab Angelis videatur, et a Beatis videndus sit in vita æterna; unde visio Dei a Patriarchis erat in aliena formâ aut in persona ministri seu Angeli.

Ad Conf. R. N. Ass. Triplex via est conciliandi cum veritate dogmatis Patrum eorum dicta, quibus venerationem habere oportet, nempe si accipiantur eorum verba vel de visione *corporea*, vel de visione *intellectuali* quidem, sed aut per proprias vires aut in præsentis vitæ statu, vel de visione *comprehensiva* etiam Angelorum ac beatarum mentium. Speciatim

Ad prob. 1<sup>am</sup>. R. Scriptorum hic laudatorum auctoritatem nullam esse, cum ignoti omnino sint, certum autem habeatur, falso illis ATHANASII nomen fuisse præfixum. Posterioris tamen verba a quibusdam intelliguntur dicta ad excludendam duntaxat visionem *comprehensivam*, non autem intuitivam finitam: prioris vero, quæ manifeste tantum cognitionem abstractivam concedunt, non sunt tractabilia, sicut nec alius ex Dial. 3. de Trin. S. ATHANASIO itidem supposito locus. V. PETAVIUM L. 7. n. 4.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. R. D. Et ex plerisque his ipsis additis negant simpliciter videri intuitive Deum N. negant tantum comprehensive Deum videri C. S. EPIPHAN. hæc. 70. ubi dixisset, *videri Deum infinitum, non ut se habet in sese infinitum, sed quomodo capere natura potest, subdit videri reipsa ut in se est, sed non videri secundum totam suam latitudinem*. Patet hoc ipsum ex eorum verbis, queis negant Deum videri, CYR. HIEROS. *sicut deus est*, CYR. ALEX. *pro eo atque dignum est Deo*, AMBROS. *secundum plenitudinem Divinitatis*, HIERON. *juxta naturæ suæ proprietatem*, quod l. c. pro sua et nostrâ sententia exponit AUG., et HIER. etiam in Comment. ad c. 6. Isa. v. 1. aperte explicat.

Ad prob. 3<sup>am</sup>. R. D. Statuunt visionem aut corpoream, aut propriarum virium vel hujus vitæ, aut comprehensivam esse omni menti creatæ superiorem, et postremam soli Filio et Spiritui convenire C. visionem intellectualem et simpliciter intuitivam N. DIONYSIUS loquitur de naturali et viribus propriis comparata notitia; alter textus ad conspectum, quem homines corporibus inclusi assequuntur, spectat; quia sermonem ibidem de Patriarchis et Prophetis instituit. Similem sensum habet NYSSENUS loquens de cogni-

tionem Dei hominibus viventibus propria. AMBROS. de corporea intelligendus est, quia Verbum dicit incarnatum, ut ab hominibus conspici queat. BASIL. quia de profundis Dei, quæ Spiritus scrutatur, ibidem agit, de comprehensiva loquitur. Similis sensus tribuendus est ISIDORO loquenti de visione, quæ in toto et integre Deum attingat.

98. Obj. II. Inter intellectum creatum et essentiam divinam nulla est proportio; quia ille est finitus et intrinsece naturalis, hæc vero *infinita et supernaturalis*; adeoque diversi ordinis; ergo intellectus creatus nulla ratione elevari potest ad intuitive videndam Dei essentiam; præsertim cum intellectus etiam elevatus non possit videre omnia possibile in Deo latentia, quibus præminet essentia divina; et oculus corporis, quantumvis naturaliter proportionatus, nequeat directe intueri solem in meridiana luce.

R. D. A. Non est proportio entitatis C. habitudinis *subd.* completa et proxima sine supernaturali auxilio C. inchoata et remota N.

Ad prob. p. 1<sup>am</sup>. *Disparitas* est, quod cognitio omnia possibile cognoscens, foret comprehensiva infiniti et etiam ipsius Dei, cum illa possibile nihil aliud sint, quam essentia divina infinite participabilis; adeoque infinita etiam foret; e contra cognitio immediate quidem, sed modo finito attingens Dei substantiam nec comprehensiva nec infinita est.

Ad p. 2<sup>am</sup>. *Disparitas* stat in eo, quod radii solares nimia copia et calore irruentes turbent humores et lædant retinam; unde dolor in oculo et provocatio lacrymarum oritur, et fixus obtutus impeditur: nihil ejusmodi oculis mentis, præsertim superne roboratis, in Dei contemplatione est timendum.

Inst. 1. Visio Dei intuitiva debet esse infinita: sed visio intellectus creati etiam elevati nequit esse infinita; ergo. *Maj. prob.* 1°. Quia representatio objecti infiniti debet esse infinita; cum ab objecto specificetur actus potentiae circa objectum. 2°. Quia visio intuitiva debet representare Deum, ut est in se; Deus autem in se est infinitus. 3°. Quia sicut productio rei infinitæ est infinita, sic etiam visionem Dei infiniti infinitam esse oportet.

R. N. M. et prob. 1<sup>am</sup>. Quia representatio et actus quilibet potentiae non specificatur ab objecto juxta modum essendi, quo objectum est, cum alias omnis actus circa Deum versans infinitus, et circa materiale vel finitum objectum occupatus materialis et finitus foret, quod falsum esse aliunde liquet; sed secundum modum attingendi et tendendi.

Ad prob. 2<sup>am</sup>. D. Intuitiva visio debet representare Deum, ut est in se. h. e. cognoscere ejus naturam, personas, attributa, et eum etiam esse infinitum ac infinite cognoscibilem C. h. e. modo etiam infinito et hæc omnia commensurante N.

Ad prob. 3<sup>am</sup>. *Disparitas* est, quia productio debet dare esse rei et hinc effectum continere; adeoque si effectus sit infinitus, causa etiam et productio infinita requiritur: virtus autem cognoscitiva et cognitio rei esse præsupponit, ideoque continere non debet; modus etiam cognoscendi non sequitur modum rei cognitæ, sed modum essendi potentiae cognoscitivæ, quæ quia finita est, et ille est finitus.

Inst. 2. Sicut *speculum* finitum non potest representare objectum infinitum, et *locus* finitus ambire corpus infinitum, nisi utrobique tantum ex parte; sic etiam visio finita non poterit referre Deum infinitum, nisi tantum